

I.
D 123

no. 33. R. F.

Consul & Nicolaus Glis

fehlt bei Szabo.

Liber rarus.

~~2. III. 18.~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

I

VITEBERG.

2. 123.

SIGNAT. CI010CCCCXIII.


Mamus Matheus
Ebrs händi


Exergio pt no
bili vix do
mino. Ex hmo do
thomigoy. Ce
sare Marpny
Cammre Cvm m
ensis et se htm
m. ensu liban,
vno gromen h
d d an hoy


N 90

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]









ENCHIRIDION
PASTORALE,

IN QVO PRIVATA
Confessio, vera corporis &
sanguinis in Cœna præsen-
tia, publicusq; circa com-
munionem sacram
congressus de-
fenditur,

A

M. MATTHIA EBER-
hardo Ecclesiæ Schem-
nicensis, Pastore.

*Joh. Heßlig Mithu suus sibi vendit,
Psalm: XXV. Jam vero
Necodemus
Integritas & rectitudo custodient me. Satori
ut =*

L I P S I Æ

Excudebat Ioannes Rhamba
Anno, 1576.



Νῦν ἄνδρες κενεῆς οἰήσι· Ἐμπλεω ἄσκοι
φθείροντες γλώσσαις ῥῆμα θεοῦ κακαῖς.

M. Matth. Eberhard.



~~Handwritten scribble or signature in ink.~~

AMPLISSIMIS
VIRIS, EGREGIO
ET NOBILI DOMI-
no TIMOTHEO Schön-
feldern, politiæ Schemni-
censis iudici, reliquisq; iu-
ratis sapientia & prudentia
ornatissimis, egregijs &
optimis Dominis, sa-
lutem dicit

M. MATTHIAS EBER-
hardus Ecclesiæ Schem-
nicensis Pastor.



*Admonet me amor erga
Ecclesiam Dei, studi-
um & pietas erga fra-
tres in locis Hungariae
metallicis puritatē do-
ctrinae ex fontibus Is-*

A 2 rael

rael hausta profitentes de huius breuissimi
& simplicissimi scripti editione, in qua non
splendida verborum lumina, non amba-
ges, non excogitata elusiones, non varia
detorsiones conspiciuntur, Sed ipsa res sim-
pliciter & breuiter, praesertim in disputa-
tione de praesentia corporis & sanguinis in
Caena Domini omnibus veritatem, dex-
teritatem & simplicitatem amantibus pro-
ponitur. Nam

Ἀπλῆς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ-
κε τῶν ποικίλων δέεται ἐρμηνευμάτων.

Hoc est: Simplex oratio veritatis est,

Nec varijs indiget interpretationibus.

Vt Euripides in Phœnissis refert. Et Salomo
in Proverbjs capite decimo dicit, Ambu-
lantem simpliciter ambulare confidenter.
Magnum sanè affert solatium docentibus
πεποίθησις, qua non ex speculationum pro-
funditate, non ex opinionum varietate,
sed ἐκ τῆς ἀπλότηος proficiscitur. Qua
quæso potes in ambulando, hoc est, in do-
cendo sacras literas uti confidentia, qui
subinde ex tuis speculationibus affingis no-
uas verbis sacrarum literarum simplicibus
inter-

interpretationes? Equidem iubet nos filius
Dei Ioannis quinto capite sacram scriptu-
ram ἐγὼ καὶ ὑμεῖς, quod est sagaciter inquirere,
Sed non vult, ut eam detorqueamus ad
nostras opiniones, nec vult, ut novas inter-
pretationes, sensui communi obvias, & à
sententia verborum nativa alienas in sa-
cris literis fingamus. Scio huius scripti-
simplicitatem & Deo, & multis pijs fore
gratam, multosq; excitaturam ad confi-
dentiam, qua simpliciter Το πῆτον in verbis
cæne dominicæ mecum defendent. De alijs
qui nodum in scirpo querunt, parum sum
sollicitus. Scio enim eos in via lubrica hinc
inde cum periculo oberrare. Adieci etiam
aliquot causas sat firmas, ob quas privata
confessio sit retinenda in Ecclesia. Audio
enim in multis Hungariæ locis confessio-
nem privatam prorsus negligi, quod pro-
fecto periculosum est tam pastoribus, quam
auditoribus. Postremo mentionem facio
publicæ congregationis, in qua legitimus
Cæne Dominicæ usus celebrari debet, Et
hoc Enchiridion vobis amplissimis viris,
auditoribus meis diligentissimis, veritatis

& ordinis studiosissimis dedicare volui, ut
non tantum ex concionibus meis, sed etiam
ex scriptis intelligere possitis, quid in hac
ubiq; nunc usitata & periculosa disputa-
tione, de Confessione priuata, & de Cæna
Domini sentiam. Et vnicè peto, ut hoc
scriptum ex corde erga Ecclesiam, & ve-
stram prudentiam sincero profectum, hi-
lari fronte legatis. Valete in eo, qui nos
diligit in suo dilecto. Schemnicij An-
no M. D. LXXVI.

DE CON-

De Confessione priuata.



CONFESSIO est vocabulum πολύσημον habens varias in literis sacris significationes. Interdum idem, quod Ebraeis thoda, & græcis ἐξομολόγησις significat, videlicet gratiarum actionem, seu publicam nominis diuini celebrationem, quæ est confessio animi verè statuentis bona nostra nobis non casu offerri, sed singulari Dei beneuolentia in nos conferri. Vt Psalmo quinquagesimo: Immo-la Deo thoda, Θυσίαν αἰνέσεως, vt interpretes reddiderunt, sacrificium laudis seu confessionis, quæ fit clara vocis emissionem. In eadem significatione eadem voces in Psalmo centesimo sexto, & centesimo septimo extant. Et filius Dei vtitur vocabulo ἐξομολογήσεως in eadem significatione Lucæ decimo. Nonnunquam ἐξομολόγησις significat καὶ ἀλλαγὴν, id est, mutuam reconciliationem, quæ fieri debet, inter quos propter offensionem sunt similtates, de qua significatione Iacobus

capite quinto sic scribit: Confitemini in-
uicem delicta vestra, id est, vtrinque agno-
scite carnis infirmitatem, & in mutuam
redite gratiam. Interdum confessio signi-
ficat ingenuam veritatis μαρτυρίαν ἢ ἀε-
νήσει oppositam. Vt in primo capite Io-
annis de baptista scribitur: Confessus est,
& non negauit, id est, liberè & ingenue
veritatem de se aperuit, apertèq; dixit,
quis sit. Postremo significat liberam &
voluntariam peccatorum recitationem,
& veniæ petitionem, quæ fieri solet co-
ram tota Ecclesia ab ijs, qui delictis ma-
nifestis scandalo fuerunt Ecclesiæ, Et ea
est, quam nominamus publicam confes-
sionem. Vel ista peccatorum libera & vo-
luntaria recitatio ac veniæ petitio fieri
solet coram Pastore ab ijs, qui in recor-
dationem passionis Domini, & fidei con-
firmationem ad sacram Cœnam accedere
volunt, & ea est, quam priuatam appella-
mus confessionem, quæ non est carnifi-
cina seu tortura illa, qua monachi ex ho-
minibus impossibilem omnium delicto-
rum enumerationem extorquere, & pro
peccatis satisfactionem hominibus im-
ponere laborant, Sed est examen rudio-
ribus valde vtile & necessarium, in quo
rudiores de præcipuis fidei articulis, an-
tequam ad sacræ Cœnæ vsum admittun-
tur,

tur, paterne interrogantur, quæ paterna interrogatio rudioribus ex re est maiori, quam multæ conciones, quæ nunquam ab auditoribus repetuntur. Et hæc priuata confessio non tantum ex usu est rudioribus, sed etiam pastoribus, qui in futuro iudicio fidei & diligentia suæ reddituri sunt Deo rationem. Pertinet enim ad fidem & diligentiam pastorum scire, qui & quales sint, qui ad usum Cœnæ dominicæ admittuntur, an teneant partes *καὶ ἡχίσεως*, an sciant discrimen legis & Euangelij, & alia, quæ scire debet, qui accessurus est ad mensam Domini.

Hoc non est postremum pastorum officium: Expresse enim inquit filius Dei Ioannis decimo, Se vt bonum pastorem noscere suas oues. Cuius exemplo omnes pastores admoniti, noscere quoque debent suas oues. Sed quomodo pastor potest suas noscere oues sine examine, cum in genere accessuros ad cœnam paucis verbis à peccatis absoluit? Experientia ipsa testatur, multos ubique locorum non tantum in pagis, sed etiam in magnis ciuitatibus esse homines ex senum & iuniorum numero, qui sæpe accedunt ad sacram communionem, & nesciunt, quid accipiant, multo minus sciunt, in quem finem ad cœnam accedant, Imò multi ex

ijs sunt qui nec orationem dominicam
noscant, pro his, quomodo pastores in
vita futura Deo responsuri sint, videant
ipsi. In priori ad Timotheum quinto
monet Paulus sub nomine Timothei om-
nes pastores, ne cui manus citò impo-
nant, neq; communicent peccatis alic-
nis. Quæ grauissima Pauli admonitio
non tantum intelligenda est de imposi-
tione manuum, quæ fieri solet circa or-
dinationem ministrorum, Sed etiam de
ea, quæ fieri solet in certitudinis signum
circa absolutionem. Ibi certè pro offi-
cij dignitate & conscientiæ salute quisq;
pastorum videat, ne cui cito manus im-
ponat, nec quemquam sine examine à
peccatis absoluat, & ad cœnam admit-
tat, ne communicet alienis peccatis. E-
rit sane difficile in futuro iudicio pro
peccatis alienis Deo respondere. Qui
habet aures, audiat, qui legit, intelligat.
At dices Paulum alio in loco accessuris
ad Cœnam præcipere, vt se quisq; pro-
bet. Scio quidem suam cuiusq; proba-
tionem esse necessariam in hac præsertim
actione, sed eò melior, eòq; plenior erit
sua cuiusq; probatio, vbi pastoris acces-
serit examen, quod necessario à pastore
requiritur, Quia, vt dictum est, pastor
non tantum debet consulere conscien-
tias

tijs eorum, qui petunt peccatorum ab-
solutionem, & corporis domini partici-
pationem, sed suæ ipsius quoq; conscien-
tiæ rationem habere, vt certò sciat, cui-
nam administret peccatorum absolutio-
nem, & altaris sacramentum, ne sibi ipsi
videatur, se peccatis alienis communi-
care. Equidem molestus est labor, quem-
libet priuatim audire & examinare in Ec-
clesia præsertim magna, Sed si vtilitatem
& officij rationem spectes, facilè omnem
deuorabis molestiam, nec molestum erit,
quod libenter facies, quodq; ex officij
ratione facere debes. Sed dices, quos-
dam offendi ritu confitentium, qui in
priuata absolute ad pedes pastorum
in genua sua procidunt & confessionem
recitant. Quantum ponderis habeat
hæc obiectio, facile quisq; non stultissi-
mus videt. Sit cui libet liberum, seu
stans, seu sedens, seu in genua procidens
confiteatur. Inanis est præterea persua-
sio eorum, qui putant, hunc honorem
exhiberi personæ pastoris, cum honos
iste non personæ, sed officio, quod est sa-
crum & debita reuerentia obseruandum,
exhibeatur. Eum, qui honorem hunc
ministerio, cum quo semper est spiritus
sanctus præsens, offerendum esse negat,
de ministerij efficacia parum, aut nihil
sentire

sentire certissimum est. Qua de re, ut
auditores pro concionibus sapius & gra-
uius edoceantur, requirit officium &
cura pastorum.

Ex his quilibet facile colliget, quam
ob causam in omnibus bene constitutis
Ecclesijs confessio priuata retineatur, &
ob quam causam in omnibus recte con-
stitutis Ecclesijs retinenda sit.

Deinde retinendum est hoc priua-
tum examen in Ecclesijs, ut cuilibet no-
minatim in maiorem rei certitudinem,
& in firmiorem conscientiae consolatio-
nem peccatorum remissio applicetur.
Multum refert, si pastor in priuata abso-
lutione tibi manum imponens dicit:

Ego minister Domini
nostri Iesu Christi, an-
nuncio tibi ex mandato
Christi remissionem om-
nium tuorum peccato-
rum, in nomine Patris, &
Filij, & Spiritus Sancti.

Propheta

Propheta Nathan libro Samuelis secundo, capite duodecimo, utitur eadem loquendi forma: Dominus abstulit t v m peccatum. Ac si diceret: Ego in nomine venturæ victimæ annuncio tibi remissionem tantorum peccatorum, quæ agnus Dei à tua ceruice tollet, & in suam reponet. Et filius Dei Matthæi nono: Confide fili, remittuntur tibi t v a peccata.

Hæc personalis seu priuata peccatorum remissionis applicatio longè firmiter & potentior est, quam generalis, in quam homines præsertim rudiores minus animaduertunt. Bernhardus nos optimè de priuata remissionis peccatorum applicatione admonet his verbis: Oportet te credere t i b i remitti peccata. Hinc ex natura correlatiuorum sequitur, Bernardum approbare confessionem & absolutionem peccatorum priuatam.

Adde & hanc causam, ob quam retinenda est priuata confessio, & priuata veniæ applicatio: Quia hic ritus est singulare testimonium, lapsos pœnitentiam agentes, ab Ecclesia esse recipiendos, contra horrédam & blasphemiam Nonasti opinionem, de reiiciendis semel lapsis. Hoc sanè testimonium fauciatis consci-

entijs

entijs affert magnam & incredibilem consolationem, quod licet in generali absolutione etiam fieri possit, minori tamen confirmatione. Et, vt finem huius rei faciam, omnia secundum piam Pauli admonitionem in Ecclesia fieri debent *ἐυχημόνως καὶ μετὰ τάξεως*, id est, compositè, decenter, pulchrè & ordine.

Pertinet autem ad Ecclesiæ pulchritudinem & ordinem priuata peccatorum confessio, & priuata veniæ propter meritum Christi credentibus in ligno crucis partæ applicatio, nec dignus est nomine Pastoris, qui hanc Ecclesiæ pulchritudinem & ordinem intermittit. Superest, vt respondeam breuiter his, qui dicunt confessionem priuatam esse *ἀδιάφορον*, & in multis locis *ἀδύνατον*.

Heus bone Pastor considera confessionis huius finem, & Pastoris boni officium, & deprehendes excusationem hanc minus sufficientem esse. Finis enim confessionis priuatæ tollit *ἀδιάφορον*, & constituet aliquam saltem in hoc potissimum seculo necessitatem, quæ est ordo, multis in Ecclesia utilitatibus seruiens.

Lutherus piæ memoriæ in tomo sexto germanico in editione Ienensi recentiore, folio 109, scribit, Confessionem priua-

priuatam esse primam, necessariam & utilem scholam, in qua Christiani discunt verbum Dei rectè intelligere, & sese in fide exercere. Et in eodem loco ait, hunc ritum esse disciplinam veterem, laude dignam, Christianam, necessariam, homines in officio vocationis retinentem, quam qui, vt ἀδιάφορον, & rem à Deo non mandatam minoris faciunt, aut contemnunt, eos scribit esse homines infulos, futiles & indoctos, Et addit se maioris facere priuatam confessionem, quam mundum hoc decuplo maiorem. Officium Pastoris excludet ἀδύνατον, & constituet ordinem, qui, quomodo ea, quæ videntur impossibilia, facile fieri posse docebit. Breuiter. Priuata confessio est examen in Ecclesia valde utile, & tam necessarium, quam necessarium est examen in scholis, sine quo discentes parum aut nihil proficiunt, vt quotidiana docet experientia. Quæ tu Pastor pro tua autoritate præstare in tua Ecclesia non potes, ea committas magistratui, qui est custos & primæ tabulæ, quo ad externam disciplinam, hunc voca in auxilium, Si magistratus est pius, & officij non immemor, eiq; curæ est religio & Ecclesiæ ordo, non deerit tibi, sin minus hac in parte te iuuerit, tu in auxilium tuum voca autorem
ordi-

ordinis, & facias officium vocationis, in-
stes, clames, moneas, arguas, nec desi-
nas, donec hunc ritum in Ecclesiam tu-
am inuexeris. Hoc si non facis, nec offi-
cium vocationis facis, mercenarius, non
Pastor es. Vides vitium, nec facis offi-
cium, accipis obsonium, nec curas
depositum, pro quo quid Deo re-
sponsurus sis in vltimo iudi-
cio etiam atq; etiam
perpende.

DE PRÆ-

DE PRÆSEN- TIA CORPORIS ET SANGVINIS DO- MINI IN COENA.

Ipsa rei appellatio ad-
monet nos de multis,
magnis & grauibus re-
bus.



HÆC Cœna nominatur
à Christo Testamen-
tum, quod Christus
iamiam moriturus in
firmã hereditatis no-
stræ certitudinem con-
didit. Væ homini, qui
hoc testamentum suis rationibus & hor-
rendis quæstionibus suspectum reddere
laborat. Si enim iuxta Pauli dogma ho-
minis testamentum violare sit nefas, quid
quæso statuendum est de eo, qui Christi
testamentum violare, corrumpere & de-
prauare non veretur? Hoc testamentum,
quod est *κοινωνία*, participatio corporis
& sanguinis Christi, est verum, firmum,
B raturum,

ratum, certum, quod nullius creaturæ-
sapientia, nullius eruditio, nullius calli-
ditas euertere potest, Si omnes excutian-
tur circumstantiæ. Et est testamentum, vt
iurisprudentes loquuntur, Nuncupati-
uum, quia testator coram duodecim te-
stibus suam voluntatem expressis verbis
declarauit, & hæredem nuncupauit.

Et cum duodecimus testis Iudas Isca-
riothæ ab hoc testamento defecisset, sub-
stitutus est in locum ipsius non tantum
Matthias, Sed etiam Paulus, qui expres-
sis verbis affirmat in priori ad Corinthi-
os vndecimo, Se hoc testamentum acce-
pisse à Domino, seq̃ hoc distribuere vt
accepit. In re tam manifesta cœcutire,
& rationis ductu nodum in scirpo quæ-
rere, est manifesta insania, & horrenda
impietas. Consideres quæso testatoris
huius personam, Quæ, qualis & quanta
sit, Vide etiam atq̃ etiam, an testator iste
morti tam vicinus, qui est ipsissima veri-
tas, in cuius ore nunquam est repertus
dolus, lusit ambagibus, vel similitudini-
bus, an aliud dixerit, aliud vero senserit.
An putes, Deo impossibile esse, quod
tuæ infirmæ rationi non est obuium?
*ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι καὶ ἀνένυτον ἔ-
δεν*, iuxta Linum. Et Dominus ad Abra-
ham Geneseos decimo octauo dicit: Num
Deo

Deo quicquam est mirabile? Hoc est,
Numquid est tam excellens & arduum,
quod Deus præstare non possit? Iere: tri-
cesimo secundo: Nihil tibi impossibile
est. Idem dicit Angelus ad Mariam Lucæ
primo: Apud Deum non est impossibile
omne verbum, id est, nulla res quantum-
uis ardua, ingens & magna, Deo impos-
sibilis est. Sudant hac in re multi pluri-
mum, abutentes sua industria, & in me-
dium multas multis vociferationibus af-
ferunt obiectiones, quibus testamentum
hoc violare, & natium verborum sen-
sum euertere conantur. Dicunt huius te-
stamenti fundamentum esse Communi-
cationem idiomatum, cum huius testa-
menti fundamentum nulla alia res sit,
quam ipsissima institutionis verba, quæ
sunt manifesta, clara, simplicia, & cum
nullo fidei articulo pugnancia, nisi quod
pugnent cum cæca hominum ratione,
quæ semper fidei articulis, & manifestis
literarum sacrarum testimonijs obstre-
pere solet.

Excute propriam singulorum verbo-
rum huius institutionis significationem,
& rationem tuam hac in re cæcam, & ni-
hil intelligentem paulisper remoue, & in-
telliges, quid Christus velit: Dominus
accepit in manus panem, quem dedit dis-

cupulis dicens: ACCIPITE, EDITE,
HOC EST CORPUS MEVM.

Singula vocabula sunt clara, perspicua & simplicia, quæ nullius interpretatione indigent. Sed quid non audet ratio à spiritu sancto deserta?

Sunt, qui impudenter dicere audent, Christi corpus in Cœna non esse, quia Christus accepit in manus suas panem, non corpus. Ecce quam cæca est ratio, quæ vnum videt, & alterum negligit. Nonne quæso, cum Christus in manus accepisset panem, subiecit statim: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Est ne quæso panis pro nobis in mortem traditus? Hoc si est, sequetur certè, quod pro nobis Christus non sit passus nec mortuus.

Non autem hac in parte approbo Papistarum *μετεσώωσι* seu *μεταμόρφωσι*, Transubstantiationem seu transelementationem, quasi panis post verborum recitationem amitteret suam naturam, & in carnis naturam mutaretur: Panis enim natura manet eadem post consecrationem, quæ fuit ante consecrationem, quod color, odor & sapor testantur. Sed vna cum pane simul datur corpus.

Sunt nonnulli, quibus placet error Carlstadij, qui hæsit in dictione *Ἰστο*,
quod

quod pro sua sapientissima, si dijs placet, eruditione exposuit *δεικτικῶς*, quasi filius Dei in mensa coram discipulis sedens, eisq; panem distribuens, in suum ipsius corpus digito commonstrasset. Hoc est corpus meum, id est, hoc corpus, quod oculis cernitis, est meum. Hæc si Carlstadij expositio vera est, sequetur & hanc veram esse, Hoc est poculum meum, id est, Hoc ipsum poculum quod cernitis, est meum. Tam ineptè egisse Christum in agone mortis in re tam necessaria & ardua fingit Carlstadius.

Sed quærent Carlstadij discipuli & Stenckfeldiani, quonam referendum sit pronomen *ἴστο*, Hoc, an ad antecedens, an vero ad sequens vocabulum? Grammatica hoc ipsum expedit, quod videlicet pronomen *ἴστο*, respondeat dictioni antecedenti per *σύνθεσιν*. Nam constructio non ad verbum, sed ad intellectum refertur, Panis hoc, id est, illa ipsa res, quam accipis cum pane in os tuum, est meum corpus. Sicut accipis in cœna Domini panem visibilem & sensibilem in os tuum, Sic accipis in os tuum verum ex virgine natum corpus, inuisibile & insensibile, sine digestionem & absorptionem: Nam panis ille in cœna Domini sacra non est vulgaris panis, quali domi frueris

quotidie, sed singularis, cum quo corpus Domini tibi substantialiter seu corporaliter communicatur.

Ineptissimus asinus Stenckfeldius inuertit verborum ordinem: Accipite, edite, corpus meum est hoc. Et sic doctus ille Magister emendat magistrum æternum in grammatica.

Quidam arripiunt errorem Zuinglij, qui verbum εἶναι interpretatus est significatiuè, Hoc est corpus meum, id est, Hoc significat corpus meum, non quod corpus Christi reuera sit in cœna, Sed quod panis habeat aliquam corporis absentis significationem. Hunc errorem refutant Lucas & Paulus omittentes verbum εἶναι in descriptione alterius partis cœnæ.

Sunt qui imitantur furorem Oecolampadij dicentis, σῶμα significare corpus Ἰωαννῶν, id est, figuratiuum. Idem ferè error est Stenckfeldij: dic mihi, quæso, Quale corpus pro nobis est traditum? Num verum, quod verè assumpsit Dominus in vtero virginis, an vero figuratiuum? Dic etiam mihi, quale hoc sit testamentum? Num nouum, an vero vetus?

Sunt hodie plurimi, & ex ijs doctissimi viri, quibus perplacet opinio Caluini, Bezae,

Bezæ, Bulingeri, Martyris & aliorum, qui scribunt hanc propositionem : Hoc est corpus meum, non esse intelligendam de corporali præsentia corporis Christi in cœna, Sed de efficacia Christi ad salutem, & volunt nos sumere corpus Domini in cœna, fidei contemplatione, non ore, & remouent corpus Domini longius à cœna, quam cœlum distat à terra. Sed dicant nobis : Num verum Domini corpus, an vero efficacia absentis corporis: Item, An signum absentis corporis, an vero illud ipsum corpus ex virgine natum pro nobis sit in lignum subactum, & pro nobis mortuum? Vides sane absurditatem ex tali verborum detorsione proficiscentē.

Sunt etiam qui fucosam sententiæ Christi addunt correctionem, & dicunt, corpus Domini simul esse in cœlo & in cœna, Sed in cœlo localiter, & in cœna sacramentaliter, vel vt alij loquuntur partialiter, & Christi corpus esse in cœna modo sacramentali, non corporali. Ecce quam fucosa correctio. Quid aliud hæc correctio vult, quam euertere natiuam verborum Christi significationem, & negare veri corporis in cœna præsentiam. Eam correctionem student probare ipsis verbis institutionis, cum prorsus cum verbis institutionis pugnet. Dixit ne

quæso Christus? Accipite, edite, hoc est corpus meum sacramentale? pactionale, & locale. Dicere corpus Christi in cœlo esse localiter, & in cœna sacramentaliter, nihil differt à sententia Caluini, qui scribit Christi corpus in cœna esse tantum efficacia, & sumi fidei contemplatione, non ore. Aliena igitur prorsus est correctio à verbis institutionis.

Sunt alij plurimi, qui alias atq; alias afferunt opiniones, quibus testamentum hoc euertere multum sudant, sed nihil promouent, quia verba cœnæ stant firma, fixa, immobilia, & quodlibet verbum in sua genuina & propria significatione, & qui aliam his verbis affingere studet significationem, sit anathema. Nec ratio prædicandi cum simplicissimis verbis pugnat, nec euertit veram, propriam & simplicem verborum significationem.

Oberrant passim hodie multi, qui, vt falsam Sacramentariorum obtinere possint sententiam, quærunt, quomodo corpus Christi, cum sit Physicum, eodem tempore in diuersis esse possit locis.

Ex his vicissim quæro, quomodo corpus Physicum sine semine virili concipi & nasci possit. Hanc *ἐνσάσιον* oppone tuæ quæstioni, & videbis, quam longè absit ratio tua ab his, quæ Dei sunt. Sed
dices,

dices, proprietates corporis Christi esse
retinendas. Respondeo: Omni modo re-
tinendæ sunt propter insignem consola-
tionem, quæ inde in nos proficiscitur. Sed
quomodo Christus secundum corpus præ-
ter Phyfici corporis proprietatem eodem
momento & in cælis, & in cœna sit, relin-
quimus hoc veritati & simplicitati ver-
borum Christi, & retinemus illud: Αὐτὸς
ἔφα, Ipse dixit, maiori autoritate, quam
Pythagoræ discipuli, & credimus simpli-
citer, quod hoc fiat ὑπὸ λόγῳ καὶ ἐννοίᾳ
ἡμῶν, vt verbis Damasceni vtar.

Obijcies nobis articulum de ascen-
sione ad cælos, quem dices cum nostra
sententia, qua affirmamus filium Dei in
cœna esse corporaliter, pugnare: vbi qua-
so pugna est? Ascendit ad cælos visibili
specie, qua rediturus est ad iudicium, in
terra simuletiam, & secundum humanam
naturam in cœna est, licet modo inuisi-
bili, quod testantur verba institutionis,
hæc inspice, hæc perpende, hæc in animo
iterum atq; iterum peruolue, & defines
nobis hæc vel illa obijcere.

Sunt verba cœnæ fixa & immobilia,
imò immobiliora, quam murus aëneus,
quem nullius creaturæ potentia, nedum
infirma hominum ratio euertere potest.
Premi, non opprimi potest veritas. ἀδ' α-

μάντινον γὰρ ἡ ἀληθείας Βάσις. Videbimus
in futura vita, quid sit, simpliciter & pue-
riliter credere verbo. Beati, qui
non vident & credunt,
Ioannis 20.

DE PVBLICO CIRCA EVCHA- RISTIAM CON- GRESSV.



Ominatur hæc Cœna
σύναξις, congregatio,
quia hic ritus debet es-
se publicæ congregati-
onis neruus, & admo-
net nos appellatio hæc
de re graui, ne videli-

*Non est
sacra cœna
vltima
in angulo
sed in pu-
blico.*

cet vtamur hac sacra cœna clam in angu-
lo aliquo, sed palàm in publico congres-
su, non tantum nobis in bonum, sed eti-
am alijs in exemplum, vt & alij nostro
exemplo ad crebriorem huius cœnæ v-
sum excitentur. Sed proh dolor, sunt
hodie multi vbiq; locorum homines, qui
toto decennio ne semel quidem hac salu-
tari cœna in publico loco vtantur. Multi,
dum

In Corpore
v. sano
v. v. d. n.
est. sacra
mento.

fortunæ seu superioris seu inferioris hoc
tragico casu monitus, vt huius cœnæ par-
ticipationem petat, dum mens est sana
in corpore sano, & quidem vnà cum alijs
in publico loco. Scribit Paulus in prio-
ri ad Corinthios vndecimo, suos Corin-
thios in huius cœnæ distributione in eun-
dem locum conuenisse, Et addit non de-
cere, vt vnusquisq; propriam cœnam oc-
cupet in edendo. Qui enim propriam
occupat cœnam, is contemnit Ecclesiam
seu publicum cœtum. Tristis sane & peri-
culosa res est, contemnere cœtum eum,
extra quem salus non est. Ipse filius Dei
in cœnæ huius institutione distribuit cor-
pus suum duodecim discipulis simul ad
mensam sedentibus, non Petro seorsim,
nec Iacobo priuatim, Sed omnibus dis-
cumbentibus simul in eadem actione.
Quo facto voluit Ecclesiam admonere de
publico congressu, & voluit hunc ritum
esse neruum publicæ congregationis. Sed
quid de ijs statuendum est, qui, dum pro-
spera fruebantur valetudine, cœnam
hanc & neglexerunt & contemferunt?

Num & his, si in agone mortis exem-
plo latronis agant pœnitentiam, & cœ-
nam hanc in lecto mortis petant, admi-

serio agri
libg p. am
H. v. d. n. ad
ministranda 152
Qua.

nistranda sit cœna?
Est omnino, præsertim pœnitentiam
serio

feriò agentibus, hæc cœna non dene-
ganda.

Sed tu Pastor diligenter perpende,
etiam atq; etiam vide, an, qui in agone
mortis corporis domini participatio-
nem experit, feriò pœnitentiam agat, an
ex animo verè doleat, quod, dum hac
cœna uti potuit, eam neglexerit, idq;
verbis non mutilis, non minus intelle-
ctis, Sed claris, aut gestibus perspicuis
exprimat. Certe non tutum est admini-
strare Eucharistiam ei, qui iam cum mor-
te luctatur, & præ nimio corporis & ani-
mi dolore sibi ipsi non satis constat, & eò
periculosius, cum non ipse, sed amici,
commiseratione moti, nomine ipsius pe-
tant. Vide Pastor, ne cui cito manus im-
ponas, neue communices peccatis alie-
nis.

Quid si quispiam morbo subito cor-
reptus, nec mente motus, petat huius
cœnæ esum, faciendum est?

Ibi Pastor omnia tenta, priusquam ei
domi suæ priuatim sacramentum hoc al-
taris, quod coram altari in publico loco
Ecclesia distribuere consuevit, admini-
stres, mone eum licet superioris fortunæ
hominem, ut, quantum fieri possit, è le-
cto surgat, & in publicum locum eat,
Quod si tantis membrorum viribus non
fit

fit præditus, gestetur in publicum locum,
& vnà cum alijs corporis & sanguinis
Christi fiat particeps. Idq̃ exemplo sum-
mi viri Ioannis Hunniadis comitis Hun-
garici Matthiæ Coruini patris, qui in pe-
riculosissimo morbo ijs, qui ei hortato-
res erant, vt accerferet ministrum Eccle-
siæ, ab eoq̃ peteret peccatorum veniam,
& corporis domini participationem, per
animi indignationem respondit:

Ecce assum, si ægrè incedo, ducite
me in locum publicum, in quo vnà cum
alijs pijs Ecclesiæ membris voluntatem
Dei in fidei meæ confirmationem exe-
quar, si incedere nequeo, portate me,
Ego, qui pro animi mei fortitudine sæ-
pissimè milites maximè strenuos, nullis
motus impedimentis per multa miliaria
insequutus sum, non feram, vt corpus &
sanguis Domini me sequatur, me decet,
vt sequar Dominum meum eum in lo-
cum, in quo mihi vnà cum alijs corpus &
sanguinem suum distribuet: Nolo enim
contemnere Ecclesiam seu publicum con-
gressum.

Vtinam hæc pia huius magni viri vox
sonet in omnium hominum auribus, &
mentes hominum tam superiorū, quam
inferiorum occupet, & in omnium cor-
dibus radices altas agat.

Quod

Quod si in lecto decumbens nec duci
nec gestari possit in templum, & seriò pe-
tat corporis & sanguinis participatio-
nem, Pastor, qui est minister, non Domi-
nus Sacramentorum, faciat petentem pe-
titionis compotem, & reliquos commo-
nefaciat de tempore opportuno, in quo
venire omnium rerum primum est.

Sunt, qui dicunt, locum à loco nihil
differre, terram esse Domini, & in omni
loco esse oculos Domini, sit sanè. Sed lo-
corum æqualitas, & præsentia Dei vni-
uersalis non tollit publicum congres-
sum, quem Deus in paradyso statim san-
xit, & in neruum publicæ congregatio-
nis, & in veteri & in nouo testamento
certas ceremonias ordinauit.

Eiusmodi obiectiones, earumq; con-
futationes Pastores sapissimè pro con-
cionibus urgere debent, neminem qui-
dem ad hanc cœnam cogere; cultus enim
coactus Deo est ingratus. Sed instent
verbo, moneant auditores de officio, in-
culcent eis mandatum Dei, & propo-
nant iram Dei, quæ contemptum hunc
sequutura est, Et cum instando & mo-
nendo parum vel nihil promouere pos-
sunt, inobedientes, qui & publicè & pri-
uatim, mollioribus & durioribus verbis
sapissimè sunt ad vsum cœnæ sacræ ad-
moniti,

moniti, deferant ad magistratum, cuius consilio & auxilio ex Ecclesia sua eiusmodi contemtores eijciant, eiectos ex Ecclesia magistratus ratione officij sui eijciat ex vrbe: Nam immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Et qui membrum sanæ Ecclesiæ esse non vult, nec sit pars iuris politici, quod cum Ecclesia coniunctum esse debet.

Hæc in breuissimo hoc scripto volui proponere omnibus in harum partium Ecclesijs Pastoribus, vt eos admonerem de fide, diligentia & ordine, quem cuiusq; requirit officium, pro quo quisq; in futuro iudicio rationem Deo est redditurus.

Faxit æterni patris filius per Spiritum suum sanctum, ne hoc, quale quale fit, scriptum sine fructu in his regionis huius partibus oberret,
Amen.

ἡ σοφία ἀνδρῶν θεῖον μὴ δεῖξαι ἀληθές,
σάθμη ἀληθείας ῥήματα θεῖα πέλει.


M. Matth. Eberhard.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.














Heid in dem
Kafas.



Anno 1586. 9. Octobris die 17. placidus in domo
Hobdominiit. Mag. discipul. G. Georgig. K. f. f.

X 2196 362



Fors
In
M.
b
IN
Co
far
tia
E



*u
mms
vtori*

